

DE TROGO POMPEIO

BORDEAUX. — IMPR. G. GOUNOUILHOU, RUE GUIRAUDE, 11.

HF uf 80a (31²)
DE

TROGO POMPEIO

DISQUISITIONEM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PRŌPONEBAT

L. E. HALLBERG


LICENTIATUS, OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS




LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN, BIBLIOPOLAM,
via dicta de Medicis, 7

M DCCC LXIX



PPN 106462512



OPTIMO

AC DOCTISSIMO VIRO

C. BERGER


IN PARISIENSI LITTERARUM FACULTATE PROFESSORI

gratæ memoriæ testimonium

d. d.

discipulorum humillimus

L. E. H.



DE TROGO POMPEIO.

- I. Procemium.
- II. Pauca de Trogo Pempeio et de testimoniis ad eum pertinentibus edisseruntur.
- III. De Justino, et de iis quæ in Breviario historiarum Philippicarum ex ipsius Trogi opere sumpta esse arbitramur.
- IV. De Trogi opere et ordine narrandi.
- V. De ipsius genere dicendi.
- VI. Concluditur.

THE END

DE

TROGO POMPEIO

I

Disquisitionem de scriptore illo apud veteres celeberrimo, apud recentiores pæne ignoto, facturi, haud equidem speramus aliquid novi et inauditi e tali posse opera emergere, neque futurum ut persona illa Trogi Pompeii majorem inde inter doctos indoctosque famam consequatur.

Sed nobis propositum animo est, quum tot tantique viri sint qui de Augusti ævo et præclaris illis Romæ florentis scriptoribus disseruerint, unum ex iis qui

inter præcipuos historiæ auctores eminuerunt, in lucem, ut ita dicam, et in proprium decus restituere ⁽¹⁾.

Quod ne absurdum aut certe temerarium videatur, necesse habemus paucis exponere qua ratione, qua, ut dici solet, *methodo* uti decreverimus, in discutiendo et æstimando scriptore, de cujus opere ne unam quidem meram paginam superesse non diffitemur.

Breviarium illud quo Justinus Trogi Philippicas historias contraxit, et, ut vulgo dicitur, oppressit, evolvemus, et, iudice hoc latini sermonis et cultioris elegantiae sensu quem in legendis optimis Romæ scriptoribus assecuti sunt humaniores apud nos viri,

(1) Nobis valde profuit ad hanc disputationem explanandam, viri apud Germanos eruditissimi, *Heeren*, dissertatio, quæ reperitur in Commentationibus regiae Societatis Scientiarum Gœttingensis, anno mcccciii, et de Trogo Pompeio quædam illustrat, præsertim de fontibus ex quibus hausit historias. De ipso Trogo nihil affert Heeren, sed multa præclare de illius libro, quæ opus quasi instauratum lectoris oculis subjiciunt. Scriptum est et aliud opusculum a doctore quodam Polono, *Bielowski*, qui Trogi fragmenta in lucem primus edidisse, apud auctores suæ gentis reperta, gloriatus, maximam nobis opem attulisset, nisi dubitarem fragmenta illa vera esse et genuina. Sed et nos, criticorum illustrium opinionem secuti, non satis comprobata esse fragmenta ibi edita, nec cum reliquiis vere genuinis satis congruere arbitramur. Ceterum pleraque truncata sunt aut sensus expertia, ita ut fere nihil afferant ad Trogi operis aut sermonis notitiam. Maluimus igitur viam sequi de qua infra dicitur.

omnia severis studiis ac rationibus perpendemus, inquirentes quid, in toto Breviarii contextu, ad Augusti ætatem et elegantissimum auctorem, quid contra ad recentiores annos, ad sermonis corrupti vitium et *breviatoris* culpam referendum sit. In ipso etiam Justini ordine dispiciendum erit, quousque, fidus interpretes aut scriba, Trogi ordinem narrandi secutus sit, quæ fusius aut reipsa minus contracta exposuerit, quæ autem non callida prorsus ratione contraxerit, vel etiam omnino prætermiserit. Neque ita desperabimus quin ad propositum finem, nempe ad aliquam clariorem ac pæne novam Trogi Pompeii notitiam, perveniamus.

Adhibenda sunt etiam veterum de ipso scriptore testimonia; quæ quamvis secundum modo locum obtinere æquum sit, quia minus ad disputationem nostram pertinent, tamen ab his incipiemus, quippe quibus uti deceat ad instaurandam et regendam Breviarii discussionem: quum præsertim fere nulla sint, atque ita melius appareat nobis ad ipsum Justini Breviarium, tanquam ad unicum disquisitionis fontem, semper esse recurrendum.

Inde talem nobis ordinem ipsa res apponit: priori parte, de Trogo et de veterum testimoniis disseretur, nec non de Justini Breviario, et de iis quibus Trogi constare genuinæ reliquiæ videntur; parte altera, pro-

positum finem assecuti, de Trogo, historiarum auctore et romano scriptore, judicia quædam constituemus. Tum concludetur facta de illius meritis quæstione, et utrum dignus Livii æmulus exstiterit, necne, breviter attingemus.

II

Mirum valde est, nullum inter scriptores qui primo vel secundo post Christum sæculo floruerunt, Trogi mentionem facere, præter Plinium majorem, qui eum in *Historia Naturali* sæpius laudavit. At Quintilianum ne nomen quidem ejus proferre, quum in decimo *Institutionis* libro rerum auctores percenset, fatemur non facile posse explanari. Et Plinius ipse non ad historias Trogi alludit, sed ad libros quos *de Animalibus* conscripserat. Nullum igitur aliud de auctore

nostro documentum habemus, quam quod Justinus in Breviarii libro quadragesimo tertio, ipsius Trogi ex opere contractum, servavit.

« In postremo libro, Trogus majores suos a Vocontiiis originem ducere; avum suum Trogum Pompeium Sertoriano bello civitatem a Cn. Pompeio percepisse dicit; patruum Mithridatico bello turmas equitum sub eodem Pompeio duxisse; patrem quoque sub Caio Cæsare militasse, epistolarumque et legationum simul et annuli curam habuisse ⁽¹⁾. »

Ipsum autem scriptorem, quoniam nihil affert quod ad se pertineat, conjectandum est Romæ natum esse, et imperantibus Augusto Tiberioque vixisse. Hoc tamen de illius vita liceat affirmare, opus Pompeii post Livii historiam esse conscriptum, si locum animadvertimus quo Justinus ait : « Trogum in Sallustio ac Livio conciones directas reprehendisse ⁽²⁾. » Rhetoricis studiis eum incubuisse conjectat *Heeren*, ex uno Justini loco, ubi eum appellat « virum priscæ eloquentiæ », et ex orationibus illis quæ tanta vi copiaeque in quibusdam operis partibus descriptæ sunt : sed de hoc nihil certum est, quum *prisca eloquentia* verbum sit satis dubium, et Livius ipse multis

⁽¹⁾ Justinus, lib. XLIII, cap. V.

⁽²⁾ Just., lib. XXXVIII, cap. III.

orationibus luceat, quamvis numquam rhetoricen docuerit.

Quinto demum et sexto post Christum sæculo testari videntur grammatici Servius ac Priscianus se Trogi historiam in manu habuisse ⁽¹⁾. At contra ex Hieronymi, Augustini et Orosii quibusdam locis apparet jam tum Justini *Epitomen* ipsius auctoris opere vulgatiorem, et nullum apud plerosque discrimen inter historicum ac breviatorem exstitisse. « Multiplex Græcorum historia, ait Hieronymus, necessaria est, præcipueque nostri Livii, et Pompeii Trogi, et Justini ⁽²⁾. » Et Augustinus : « Justinus qui Græcam, vel potius peregrinam, Trogum Pompeium secutus, non latine tantum, sicut ille, verum etiam breviter scripsit historiam ⁽³⁾... » Paulus contra Orosius clariori nos ratione docet se Pompeii historias non nisi ex Justini *Breviario* novisse : « Pompeius historicus, ejusque breviator Justinus... Ait enim Pompeius, sive Justinus ⁽⁴⁾; » et pluribus aliis locis hæc nomina, Pompeium et Justinum, semper conjuncta profert et quasi indiscreta.

⁽¹⁾ Servius, ad Virg. *Æn.*, III, 108, et IV, 37. — Priscianus, lib. V, De nomine « flaminea »; lib. VI, *Inde Scepsin petit, ... etc.*

⁽²⁾ *Procemium in Daniele*.

⁽³⁾ *De civit. Dei*, IV, 6.

⁽⁴⁾ Lib. I, cap. VIII et X; lib. IV, cap. VI.

E quibus testimoniis consequitur, jam quarto sæculo viros maxime eruditos Trogi Pompei opus, non ipsum, sed a Justino contractum, legisse; nam qui verisimile est eos breviatorem, tanquam auctorem de lectoribus bene meritum, protulisse, si justam ipsam ac rerum magnitudini parem historiam habuissent?

Ne tamen tenue quoddam et obscurum testimonium omiserimus, quod tertio vel incipiente quarto sæculo Trogi nomen commemorat, dicendum est Flavium Vopiscum, momenti mediocris historicum, inter nomina Livii, Sallustii ac Taciti, semel atque iterum Trogi etiam nomen, tanquam *viri disertissimi* et testis veridici, protulisse ⁽¹⁾. Sed nihil ex hoc colligi potest, quod auctoris nostri vitam aut famam clarius illustret, nisi forsitan eo tempore illius opera non modo exstitisse, sed et in legentium memoria locum quemdam honoratissimum obtinuisse. Quo magis mirum est Quintilianum de Trogo ne mentionem quidem fecisse.

De vita igitur Trogi Pompeii nihil habemus; de operibus, sive ad historiam, sive ad naturam pertinentibus, paucissima; nec aliud indicium reperimus quod nos in discutienda ejus historia adjuvet, præter *Prologos* illos, ejusmodi ferme qualia historiarum Titi

(1) In Aureliano, cap. II, et in Probo, cap. II.

Livii argumenta sub Flori nomine habemus, quos e codicibus excerptos ac valde depravatos correxit et primum edidit *Bongarsius*. Genuinos esse non dubitari potest; at scriptos ætate seriori, tertio forsân sæculo, critici suspicantur.

Ita, judicium de nostro auctore formaturi, ad ipsum Justini *Breviarium*, tanquam ad unicum fontem, recurrere debemus, quod nos, diversa dicendi et narrandi ratione, et comparatis inter se virtutibus ac vitiis quæ in opere illo eminent, certiora quædam de Trogo Pompeio docebit.

III

Videndum est imprimis qua mente Justinus Philip-
picas historias contraxerit : nam ita intelligemus,
hinc, quotiescunque a proposito consilio discedet, ali-
quid potuisse ex genuino ac priori libro permanere ;
illinc, si quædam contra historiæ morem ordinemque
peccare viderimus, brevioris imperitiam, non auc-
toris culpandam esse negligentiam. « Cognitione quæ-
que dignissima excerpsi, *ait*, et omissis his quæ nec
cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo erant

necessaria, breve veluti florum corpusculum feci ⁽¹⁾... » Ita ille ab historiarum vera indole recedit, ut qui flores tantum colligere, et voluptatem otiosi lectoris permulcere, et morum exemplo prodesse destina-verit ⁽²⁾.

Quidquid ad tale propositum spectare non arbitrat-ur, promiscue rejicit, quod in historiis apud nos præ-cipuum esse solet, ut situs regionum, gentium origi-nes, multasque de natura locorum quæstiones. Unde fit ut quædam volumina ceteris multo breviora sint, quamvis apud priorem auctorem non minoris mo-menti fuisse haud absurde conjectare liceat : ex hoc numero est liber decimus, nec non sextus et vicesimus, et complures alii, in quibus singultim Trogius Persa-rum Macedonumque res gestas explicuerat, quosque brevior fere ad nihilum redegit. Verisimile est in hac operis parte auctorem multa de gentibus illis apud suos pæne ignotis, et de extremis Asiæ regionibus, et de Græcorum novissimis rebus disseruisse. Videmus etiam e *Prologis*, undecimo volumine descriptas esse Cariæ origines, de quibus omnino tacet Justinus.

Imo seriem annorum et temporum rationes omnino negligit Epitome, quæ, dum flores illos inficete colli-

⁽¹⁾ Præfatio Justinii.

⁽²⁾ Vide optimam de hoc docti præidentis *Hénault* animadver-sionem, apud *Sainte-Croix*.

git, imprimis utilia aut potius necessaria omittit. Unde fit ut multa Justinus annorum errore obscuraverit, nedum aliquam opem recentioribus historicis afferat.

Quid, quod pulcherrimum cujuslibet operis ornamentum, callidam scilicet partium juncturam et artem illam a rebus diversissimis ad alias transeundi, sciens ac volens destruxerit? Non corpus enim historiæ, sed ossa, ut ita dicam, ac nervis destitutum cadaver nobis tradidit, in cuius reliquiis vix manum agnoscas artificis, quum tanta cura veteres soliti sint operum partes singulas inter se conjungere et peritissima ratione in unum redigere.

Quum tot tantæque sint in tali opere maculæ, quas ad priorem auctorem referre perabsurdum sit, nulla, ut arbitramur, invidia erit, si Justinum lector,

Aut operæ celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.

Opus immensum ac varium, cunctis in partibus absolutum, et toto corpore perfectum, *Breviarii* nomine truncavit, discerpsit, interemit, et eo majorem exemplari suo cladem attulit, quo melius ætatis inhumanae sordidæque studiis adspirabat. Ita evenit ut, apud homines illos bonarum artium imperitos, aut laboris curæque avaros, confestim opus integrum Epitome.

historicum breviator, scripturam perelegantem compilatio absurda oppresserit.

Quam levi cura Justinus Trogum contraxerit, neminem fugiet qui parumper legendo Breviario animum attenderit. Non abhorremus ab opinione scribam illum imperitum, memoriæ suæ sæpissime confisum, non semper exemplar ante oculos positum habuisse, quod saltem justa ratione conscriberet, ipsi Trogi partibus ac verbis ut ita dicam conglutinatis librorum materiam secutus est, dum singula, ut libuit, et e memoria, resarciret, ita tamen ut *unus et alter assueretur pannus*, quotiescunque destinato fini profuturum existimaret.

Atque hoc Trogi famæ reparandæ quam maxime proficere arbitramur, quum ita facillimum sit ea discernere quæ mera et genuina e veteri auctore sumpta sunt, quæ autem breviator e fundo proprio exprompsit, vel quæ suis sordibus commixta inquinavit.

Sunt enim quædam, ut animadverterunt viri acutioris judicii, inter quos præsertim Rollinus noster ⁽¹⁾, cum Justini genere dicendi minime congruentia, quæ puriorem et elegantiozem originem testentur; sunt etiam multa in ipso illo debili ac vitiato sermone, quæ

(1) Vid. etiam Mably, *De la manière d'écrire l'histoire*.

ex Augusti ætatis fonte manifesto fluant, nec ad corruptum Justinii eloquium referri possint :

Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles,

et hoc quidem tollere non ardui laboris est. Si, exempli gratia, caput illud e primo volumine perlegimus, quo narratur Darium arte peritissima regnum apud Persas occupasse, nonne judicio atque ipsis auribus probatur sequentes duo sensus non ab eodem auctore conscribi potuisse? Est hic quidem alter locus :

« Erat inter conjuratos Darius, Hystaspis filius : cui de *regno sollicito* equi custos ait... » vel quod antecedit : « Magna gloria *recepti regni principum* fuit.... Erant ita pares, ut difficilem *ex his populo electionem æqualitas faceret...* etc. » Et hic alter :

« Sic regnum Persarum, septem nobilissimorum virorum virtute quæsitum, tam levi momento in unum collatum est : incredibile prorsus, tanta patientia cecissee eos, quod ut eriperent Magis, mori non recusaverint ⁽¹⁾ ! »

Quis credat utrumque locum ex unius ejusdemque auctoris pagina transcriptum? Non verba tantum ac

⁽¹⁾ Just., lib. I, cap. X.

verborum ordinem, sed et sententiæ vim ac virtutem plane diversam sentimus.

Quum enim permulta vel potius continua eloquendi vitia in Breviario nobis occurrant, quæ nemo ad scriptorem Augusti ætate florentem retulerit; quum præsertim Justinus fracto quodam et elumbi sermone utatur, qui sæculum recentius omnino redolet, nonne convenit, quotiescunque major spiritus et nervis plena eminet oratio, locis illis melioribus nomen ipsius Trogi supponere? Sunt quæ ab illa Livii *lactea ubertate* manare existimes :

« Ægyptum autem (putabant), quæ tot regum, tot sæculorum cura impensaue munita sit, et adversum vim incurrentium aquarum tantis structa molibus, tot fossis conscissa ut, quum his arceantur, illis recipiantur aquæ, nihilominus coli, nisi excluso Nilo, non potuerit, non posse videri hominum vetustate ultimam, quæ sive ex aggerationibus regum, sive Nili trahentis limum, terrarum recentissima videatur ⁽¹⁾. »

Quid quum idem fere sensus, quos Livius tractavit, simillima ratione expressi sunt, ut in hoc loco :

« Alexander Macedonas monebat, ne multitudine hostium, ne corporis magnitudine vel coloris novitate moverentur : tantum meminisse jubet cum iisdem se

(1) Just., lib. II, cap. I.

tertio pugnare; nec meliores factos putarent fuga, quum in aciem secum tam tristem memoriam cædium suarum et tantum sanguinis duobus præliis fusi ferrent; et quemadmodum Dario majorem turbam hominum esse, sic virorum sibi. Hortatur spernant illam aciem auro et argento fulgentem, in qua plus prædæ quam periculi sit; quum victoria non armorum decore, sed ferri virtute quærat (¹). »

Quis, ea legendo, non meminerit orationis illius apud Livium qua dux ait : « Horridum militem esse debere, non cœlatum auro et argento, sed ferro et animis fretum : quippe illa prædam verius quam arma esse (²)... »

Accidit etiam Justinum, propositi Breviario finis omnino immemorem, quædam, quamvis rebus narrandis non utilia, uno et integro tenore transcribere, ut quum Alexandri animum ac dolorem post Cliti cædem, vera et vivida pictura nobis ostendit :

« ... Eodem igitur furore in pœnitentiam, quo pridem in iram, versus, mori voluit (Alexander). Primum in fletus progressus, amplecti mortuum, vulnera tractare, et quasi audienti confiteri dementiam..... Accesserat pœnitentiæ, nutricis suæ, sororis

(¹) Lib. XI, cap. XIII.

(²) Tit. Liv., IV, 40.

Cliti, recordatio, cujus absentis eum maxime pudebat : tam fædam illi alimentorum suorum mercedem redditam, ut, in cujus manibus pueritiam egerat, huic juvenis et victor pro beneficiis funera remitteret. Reputabat deinde quantum in exercitu suo, quantum apud ceteros amicos metum et odium sui fecerit.... Tunc Parmenio et Philotas, tunc Amyntas consobrinus, tunc noverca fratresque interfecti, tunc Attalus, Eurylochus, Pausanias aliique Macedoniæ extincti principes occurrebant ⁽¹⁾... »

Notandum est nihil in Epitome dictum esse prius de Pausania isto et Eurylocho, a rege, ut hic patet, occisis, quod non Justinum impedivit quominus eos hoc in loco induceret, vel potius a Trogo inductos conservaret.

Hoc saltem certissimum est, breviatorem in quibusdam locis officii sui valde oblitum esse, quum voluptatis causa totas paginas in suum librum adhibeat, quæ ad opus explicitum, non ad contractiorem Epitomen, videntur pertinere, præterquam quod dicendi genus manum peritiorem indicat, ut in hoc post Alexandri obitum capite :

« Exstincto in ipso ætatis et victoriarum flore

⁽¹⁾ Just., lib. XII, cap. VI. Totum caput legendum est, quod, exceptis quibusdam Justinii maculis, dignum auctore præcipuo videtur.

Alexandro Magno, triste apud omnes tota Babylone silentium fuit. Sed nec devictæ gentes fidem nuntio habuerunt, quod, ut invictum regem, ita immortalem esse crediderant, recordantes quoties præsentī mortī ereptus esset, quam sæpe pro amisso repente se non sospitem tantum suis, verum etiam victorem obtulisset... Mater quoque Darii regis, quam amisso filio, a fastigio tantæ majestatis in captivitatem redactam, indulgentia victoris in eam diem vitæ non pœnituerat, audita morte Alexandri, mortem sibi ipsa conscivit : non quod hostem filio præferret, sed quod pietatem filii in eo, quem ut hostem timuerat, experta esset...

» Sed nec amici Alexandri frustra regnum spectabant : nam ejus virtutis ac venerationis erant, ut singulos reges putares. Quippe ea formæ pulchritudo, et proceritas corporis, et virium ac sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, ut, qui eos ignoraret, non ex una gente, sed ex toto terrarum orbe electos judicaret. Neque enim unquam ante Macedonia vel ulla gens alia tam clarorum virorum proventu floruit : quos primo Philippus, mox Alexander tanta cura legerat, ut non tam ad societatem belli, quam in successionem regni, electi viderentur. Quis igitur miretur, *talibus ministris* orbem terrarum victum, quum exercitus Macedonum tot, non ducibus, sed

regibus regeretur? Qui nunquam sibi reperissent pares, si non inter se concurrissent; multosque Macedonia pro uno Alexandros habuisset, nisi fortuna eos, æmulatione virtutis, in perniciem mutuam armasset ⁽¹⁾. »

Sunt quædam sermonis vitia, quibus scriba quasi sigillum suum in loco citato impressit; sed si ea omiserimus, fatendum est nihil elegantius nec rerum gravitate dignius excudi potuisse.

Sed in orationibus præsertim eminet virtus illa Trogi Pompeii, quam Justino adscribere nemo audeat. Nonnullæ sunt in opere, obliquo quidem relatæ sermone, « quoniam, ut ait brevior (nec eleganter, more suo), Trogus in Livio et in Sallustio reprehendit, quod, conciones directas, *pro sua oratione* (?), operi suo *inserendo*, historiæ modum excesserint ⁽²⁾. » Quas, antequam de nostri auctoris opere quædam conjectemus, operæ pretium est lectorum oculis subjicere; nec dubitamus quin acutioris judicii homines, quorum aures meram latinitatem callent, ubi eas perlegerint, libenter fateantur illas, sine ulla verborum aut ordinis mutatione, a Justino fuisse ex ipso Trogo transcriptas.

⁽¹⁾ Just., lib. XIII, cap. I.

⁽²⁾ Lib. XXXVIII, cap. III.

1^o *Oratio Agathoclis ad milites* (ex Justini libro XXII, cap. V).

« ... Quippe aliter domi, aliter foris bella tractari. Domi ea sola auxilia esse, quæ patriæ vires subministrent : foris hostem etiam suis viribus vinci, deficientibus sociis, et odio diuturni imperii externa auxilia circumspectantibus. Huc accedere quod urbes castellaque Africæ non muris *cinctæ*, non in montibus *positæ* sint... Majus igitur Carthaginensibus ab ipsa Africa quam ex Sicilia exarsurum bellum, coituraque auxilia omnium adversus unam urbem, nomine quam opibus ampliorem... Nec in repentino Pœnorum metu modicum momentum victoriæ fore, qui, tanta audacia hostium perculsi, trepidaturi sint... Nusquam igitur alibi facilius bellum, sed nec prædam uberiores inveniri posse : nam capta Carthagine omnem Africam Siciliamque præmium victorum fore. Gloriam certe tam honestæ militiæ tantam in omne ævum futuram, ut terminari *nullo tempore oblivione* possit : ut dicatur eos solos mortalium esse qui bella, quæ domi ferre non *poterant*, ad hostes transtulerint, victique victores insecuti sint, et obsessores urbis suæ obsederint. »

2^o *Oratio Annibalis in Antiochi regis consilio* (ex Justini libro XXXI, cap. V).

« Veniam deinde libertati præfatus : nihil se aut consiliorum aut cœptorum præsentium probare, ait, neque sedem belli Græciam sibi placere, quum Italia uberior materia sit; quippe Romanos vinci non nisi armis suis posse, nec Italiam aliter quam Italicis viribus subigi... Aliis bellis plurimum momenti habere, priorem aliquam cepisse occasionem loci temporisque, agros diripuisse, urbes aliquas expugnasse : cum Romano, seu occupaveris prior aliqua, seu viceris, tamen etiam cum victo et jacente luctandum esse. Quamobrem si quis eos in Italia lacessat, suis eos opibus, suis viribus, suis armis posse vincere, sicut ipse fecerit. Sin vero quis illis Italia velut fonte virium cesserit, perinde falli, ac si quis amnes, non ab ipsis fontium primordiis derivare, sed coneretis jam aquarum molibus avertere vel exsiccare velit. Hæc et secreto se censuisse, ultroque ministerium consilii sui obtulisse; et nunc præsentibus amicis ideo repetisse, ut scirent omnes rationem gerendi cum romanis belli, eosque foris invictos, domi fragiles esse. Nam prius illos urbe quam imperio, prius Italia quam provinciis exui posse : quippe et a Gallis captos et a se

prope deletos esse; neque se unquam victum, priusquam terris eorum cesserit : reverso Carthaginem, statim cum loco fortunam belli mutatam. »

3^o *Oratio Mithridatis ad milites* (ex Justini libro XXXVIII, cap. IV ad VII).

Hanc perlongam orationem non transcribimus, quamvis inter optimas annumeranda sit.

Argumentum. Prima parte ostendit Romanos non esse invictos; sequenti, quot et quantas in Mithridatem injurias admiserint; tertia, quam superbe cum gentibus agant; quarta et ultima, quæ sit Mithridatis ipsius nobilitas et fortuna, quam facile victoriam possint adipisci.

Notandum est orationem, Justini sane culpa, non vivida prorsus clausula desinere, quippe quæ ita terminetur : « Nam justitiæ atque liberalitatis suæ nec ipsos milites, qui experiantur, testes *refugere*; et illa indicia habere, quod solus regum omnium non paterna solum, verum etiam externa regna hereditatibus propter munificentiam acquisita possideat, *Colchos, Paphlagoniam, Bosphorum.* »

Desinit in piscem mulier formosa superne.

Suspicamur aliquid post hanc sententiam a Breviarii

auctore omissum, quod orationem melius concluderet, nam difficillimum nobis videtur regem extremis illis verbis potuisse militum animos ad tanta bella excitare; et genus ipsum dicendi peccaret, si tam jejunis nominibus tam longa concio finiretur.

Quamvis, ut supra vidimus, destinaverit Trogus nullas nisi obliquas orationes adhibere, et conciones apud Livium Sallustiumque directas reprehenderit, duas tamen hujusce generis in illius opere reperimus, breves quidem ac vividas, quibus perlectis, desideramus non sæpius auctorem a sententia discessisse. Nullas enim in præcipuis romanæ historiæ scriptoribus habemus conciones quæ fortiori motu et affectibus ferantur plenioribus. Quid, exempli gratia, miserabilius hac Eumenis captivi oratione ad Argyraspidas?

« Cernitis, milites, habitum atque ornamenta ducis vestri, quæ mihi non hostium quisquam imposuit, nam hoc etiam solatio foret: vos me ex victore victum, vos me ex imperatore captivum fecistis; quater intra hunc annum in mea verba jurejurando obstricti estis. Sed ista omitto: neque enim miseros convicia decent; unum oro, si propositorum Antigoni in meo capite summa consistit, inter vos me velitis mori. Nam neque illius interest, quemadmodum aut ubi cadam, et ego fuero ignominia mortis liberatus...

Aut si ipsos pudet roganti vim adhibere, ferrum huc date, et permittite, quod vos facturos pro imperatore jurastis, imperatorem pro vobis sine religione jurisjurandi facere... Ultima nunc ego perfidorum victima has vobis *diras* atque inferias dico, ut inopes extorresque omne ævum in hoc castrensi exsilio agatis, devorentque vos arma vestra, quibus plures vestros quam hostium duces absumpsistis ⁽¹⁾. »

De verbis a Malcho ad filium, recta etiam oratione, dictis, idem iudicium ferendum est; quorum significatio, et fere scriptura, non multum discrepat a quibusdam Livii orationibus, in eodem genere compositis ⁽²⁾ :

« Aususne es, *nefandissimum* caput, ista purpura et auro ornatus in conspectum tot miserorum civium venire? et mœsta ac lugentia castra circumfluentibus quietæ felicitatis insignibus velut exsultabundus intrare? Nusquamne te aliis jactare potuisti? Nullus locus aptior quam sordes patris et exsiliî infelicis ærumnæ fuerunt? Quid, quod paulo ante vocatus, non dico patrem, ducem certe civium tuorum superbe sprevisi?... Quoniam igitur tu in patre nihil nisi

⁽¹⁾ Just., lib. XIV, cap. IV. — Hoc verbum *diras* corrupti sermonis est, quod sane Justinus induxit.

⁽²⁾ Vide præsertim Pacuvii cum Perolla collocutionem. (T. Liv., lib. XXIII.)

exsulis nomen agnoscis, ego quoque imperatorem me magis quam patrem iudicabo; statuamque in te exemplum, ne quis posthac *infelicibus miseriis* patris illudat ⁽¹⁾. »

Narrationes quoque leguntur quædam, quibus impar erat Justini ingenium, adeo concitatae sunt ac vero decore splendidæ. Adest nempe pagina illa qua reditus Alcibiadis pingitur, optimo scriptore haud indigna, quamvis peccent aliqua, ut mos est, a Justino adulterata. Capitis finem modo proferemus; ut enim quæ præcedunt non luminibus carent, ita in altera parte purior est sermo, clariusque manum artificis testatur :

« Alcibiades cum classe *victrice* Asiam vastat : multis locis prælia facit ; ubique victor recipit civitates quæ defecerant ; nonnullas capit et imperio Atheniensium adjicit, atque ita prisca navali gloria vindicata, adjecta etiam laude terrestris belli, desideratus *civibus suis* Athenas revertitur. His omnibus præliis ducentæ naves hostium et præda ingens capta. Ad hunc redeuntis exercitus triumphum effusa omnis multitudo obviam procedit, et universos quidem milites, præcipue tamen Alcibiadem, mirantur : in hunc oculos civitas universa, in hunc suspensa ora convertit ; hunc quasi de cœlo missum, et ut ipsam Victoriam contuentur ;

(1) Just., lib. XVIII, cap. VII.

laudant quæ pro patria, nec minus admirantur quæ exsul contra gesserit, excusantes ipsi iratum provocatumque fecisse. Enimvero tantum in uno viro fuisse momenti, ut maximi imperii subversi et rursum recepti auctor esset; et unde stetisset, eo se victoria transferret, fieretque cum eo mira quædam fortunæ inclinatio. Igitur omnibus non humanis tantum, verum et divinis eum honoribus onerant; certant secum ipsi, utrum contumeliosius eum expulerint, an revocaverint honoratius. Ipsos illi deos grantulantes tulere obviam, quorum execrationibus erat devotus... Explent contumelias honoribus, detrimenta muneribus, execrationes precibus. Non Siciliæ illis adversa pugna in ore est, sed Græciæ victoria; non classes per illum amissæ, sed acquisitæ; nec Syracusarum, sed Ioniæ Hellespontique meminerunt. Sic Alcibiades nunquam mediocribus, nec in offensa nec in favore, studiis suorum exceptus est ⁽¹⁾. »

Quis infitiabitur Justinum, si hoc scribere per se potuisset, non mediocre futurum fuisse in arte narrandi virum? Hoc tamen jam nunc notabimus, magnum esse discrimen inter Livii Trogique artem narrandi, quum hic contraria libenter contrariis opponat, ille autem plena simpliciue scribat oratione; hic abrupto dicendi genere, ille autem uno largoque

⁽¹⁾ Just., lib. V, cap. IV.

ambitu potius utatur. Dicas in narrationibus Trogum Tacito quam Livio propiorem; nec in scribendo solum, sed etiam sententiarum genere et moribus observandis, ut in hoc exemplo patet, quum de Parthis disserit :

» Proximus majestati regum, populorum ordo est; ex hoc duces in bello, ex hoc rectores in pace habent..... Plerumque in ipso ardore certaminis praelia deserunt, ac paulo post pugnam ex fuga repetunt, ut, quum maxime vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit...

» Uxores singuli plures habent; nec ulla delicta adulterio gravius vindicant... Equis omni tempore vectantur : illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obeunt; super illos ire, consistere, mercari, colloqui... Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia : quippe violentiam viris, mansuetudinem mulieribus assignant. Semper aut in externos aut in domesticos motus inquieti; natura taciti; ad faciendum quam ad dicendum promptiores; proinde secunda adversaque silentio tegunt. Principibus metu, non pudore parent. In libidinem projecti, in cibum parci. Fides dictis promissisque nulla, nisi quatenus expedit ⁽¹⁾. »

(1) Just., lib. XLI, cap. II et III.

De Scythis aliquid simili modo disseritur :

» Hæc continentia illis morum quoque justitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus. Quippe ibidem divitiarum cupido est, ubi et usus. Atque utinam reliquis mortalibus similis moderatio et abstinencia alieni foret! Profecto non tantum bellorum per omnia sæcula terris omnibus continuaretur, neque plus hominum ferrum et arma quam naturalis factorum conditio caperet : prorsus ut admirabile videatur hoc illis naturam dare, quod Græci longa sapientium doctrina præceptisque philosophorum consequi nequeunt, cultosque mores incultæ barbariæ collatione superari. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in his cognitio virtutis ⁽¹⁾! »

Comparandis inter se Philippo Alexandroque, vis etiam nonnulla reperitur, quæ ad Taciti genus satis se accommodat, ut ostendet pars quælibet ejus capitis, quod integrum laudare supervacaneum :

» Itaque vincendi ratio utrique diversa. Hic aperta vi, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fuis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere : hic ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat. Vini nimis uterque avidus :

(¹) Just., lib. II, cap. II.

sed ebrietatis diversa vitia. Patri mos erat etiam de convivio in hostem procurrare, manum conserere, periculis se temere offerre : Alexander non in hostem, sed in suos sæviebat ⁽¹⁾. »

Quæ sequuntur, ordine non satis justo claroque disposita, videntur brevioris inscitia fuisse quasi discerpta et disjecta. Hoc autem sensu concluditur ista comparatio : « Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit : operis totius gloriam filius consummavit; » unde apparet, scriptori minimam fuisse curam res inter se congruentes proferendi, quum Alexandrum præcedenti loco parum laudaverit, hic autem laude insigni ornaverit. Quem penes culpa erit? Arbitrabimur fuisse Trogum adeo imperitum, non modo in rebus proferendis, verum etiam in scribendo, ut sententias ita contrarias, imo absurdas, commiserit? Alexandrum tanquam vitiis omnibus deformatum juvenem ostenderit, deinde concludet dicendo « eum paterni operis gloriam *his artibus* consummavisse? » Nonne potius existimandum a Justino quædam esse prætermissa, quædam contracta, minus utilia servata, ita ut omnis ordo capitis, omnis etiam sensus evanesceret? Cujus negligentiae nonnulla proferremus exempla, nisi pigeret in istis sordibus inspi-

(1) Just., lib. IX, cap. VIII.

ciendis diutius hærere, quum præsertim Justinì liber in omnium manibus sit, quem discutere facillimum.

Quod ad res ipsas et materiam historiæ pertinet, notandum est, quod jam supra attigimus, si Prologos cum Justinì opere contuleris, in Epitome non pauca esse omissa, ea imprimis quæ de terrarum situ Trogus descripserat. Hoc etiam evenit, breviatorem quædam ratione perridicula contrahere, quum, exempli gratia, post longam Mithridatis concionem, qua milites ad bellum incitat, bellum ipsum omnino prætermittit, quod annis triginta, tanto furore tantaque pertinacia, vario etiam eventu, contra Romanos gestum est. « Sic excitatis militibus, post annos tres et viginti sumpti regni, in romana bella descendit ⁽¹⁾. » Hæc quidem omnia sunt quæ de Mithridatico bello narravit. E Prologis autem videmus Trogum, quamvis hæc bella partem non præcipuam voluminis obtinuerint, tamen ibi narravisse : « Ut Mithridates Eupator, occiso Ariarathe, Cappadociam occuparit, victoque Nicomede et Maltino, Bithyniam ; ⁽²⁾ » quod omnino neglexit Justinus.

De erroribus ad historiam ipsam, ad res ac temporum seriem pertinentibus, quædam modo dissere-

⁽¹⁾ Just., lib. XXXVIII, cap. VIII.

⁽²⁾ Vide *Prologos*.

mus, quo clarius appareat errores istos non ipsi Trogo, sed breviori imputandos. Ex hoc numero est caput sextum tertiū voluminis, quod fere totum, de tertio in Messenios bello, historiæ repugnat. Qui autem verisimile est, quum scriptor, in narrandis prioribus Messeniorum bellis, auctores græcos secutus, vera et exacta dixerit, eum subito a consuetudine illa discessisse, ac falsa de proprio fundo sumpsisse? Quid de bello Peloponnesiaco, quod sequitur, nec minus prava ratione narratur? Ac, ne singula percenseamus, quid de tot aliis erroribus ad Græcorum historiam pertinentibus, quum præsertim Græcam historiam Trogus e Græcis fontibus descripserit ⁽¹⁾?

Quod ad Judæos attinet, de quibus libro sexto et tricesimo ⁽²⁾ multa false admodum enarrat, fatemur hos errores Trogo potius imputandos, qui Augusti ætate in omnium animis erant, etiam in cultissimis,

⁽¹⁾ V. exempli gratia : libro V, cap. V et cap. VIII; lib. II, cap. VII (de Atheniensibus); lib. I, cap. VI (de Medis); lib. XXXIV, cap. III et IV; lib. III, cap. III (de Sparta et Lycurgi legibus); lib. II, cap. IX (quo Hipparcho falsum nomen imponit); lib. II, cap. VI (ubi de diluvio falsam profert opinionem); lib. I, cap. II (Syrios Assyriosque pro una eademque gente habet); lib. XXXVII, cap. III (quo prius dictis contraria dicit, affirmando Scythias ante Mithridatis bellum invictos fuisse, quum ipse supra narraverit a Philippo victos). Ex hoc autem loco præcipue conspicuum est Justinum negligentia potissimum in contrahendo scriptore peccavisse, quippe qui res supra dictas tam parum meminerit.

⁽²⁾ Cap. II.

ut apperet ex quibusdam Horatii locis, posteaque ex Taciti operibus. Sed hic etiam mirandum est quam levi diligentia brevior opus conscripserit, quum hoc in loco posset meliora ac magis verisimilia de Judæis disserere, quos tunc temporis plane noverant, toto in imperio diffusos et christianorum auxilio nitentes.

Sed de temporum serie manifestum est Trogum, siquidem et levissima cura res gestas tractavisset, non potuisse errores adeo graves admittere, quales reperias libro tertio et tricesimo ⁽¹⁾, quum ait regnum Macedoniæ duravisse annos noningentos et viginti tres, quod, ex omnium auctorum consensu, non nisi annos sexingentos et quinquaginta duravit; vel libro sexto ⁽²⁾, quum centum annorum historiam tribus his verbis: « dum hæc geruntur » contrahit; vel quum prælium ad Leuctram profligatum omittit ⁽³⁾, et res temporibus diversissimas promiscue narrat; vel demum libro secundo ⁽⁴⁾, quum affirmat Sesostrin annis mille quingentis ante Ninum regnasse, quod nullus inter omnes historicos unquam admiserit.

Quid igitur de tot tantisque erroribus concludendum, nisi aut Trogum Pompeium historias inepte

⁽¹⁾ Cap. II.

⁽²⁾ Cap. VI.

⁽³⁾ *Ibid.*, cap. VII.

⁽⁴⁾ Cap. III.

scripsisse, aut Justinum negligenter Trogi opus contraxisse? At quum clare appareat e plurimis locis Trogum et rebus et verbis fuisse excellentem, huic culpam assignare non licebit, ac fatebimur eum inter rerum scriptores verissimos annumerandum.

IV

Ex omnibus iis quæ supra disseruimus, effigiem quamdam operis a Trogo Pompeio conscripti licet adumbrare. Sed primo de fontibus aliquid dicendum, quod facillimum est post illas doctorum inter Germanos virorum disquisitiones, qui rem maxima cura illustraverunt ⁽¹⁾.

⁽¹⁾ Vide Heeren, *de Trogo Pompeio*, ex *Commentariis Societatis regiae Gættingensis*, 1803, vol. XV.

Certum est enim, et ipsius quidem Justini testimonio ac Prologorum fide, Trogum operi suo titulum illum *Philippicarum historiarum* assumpsisse a Theopompi historia, qui res imperii Macedonum diligentissime narraverat ⁽¹⁾. Quod nomen Trogi etiam historis convenit, quæ, quamvis res Græcas omnes « et totius orbis ⁽²⁾ » referant, tamen, quia libri quinque ac triginta res Macedonicas fusius tractant, nomen Macedonicarum vel *Philippicarum* haud immerito videntur obtinuisse.

Quod ad ipsum operis ordinem attinet, in Prologis clare divisum reperimus, et ipse brevior quædam ad hunc pertinentia nos edocuit : « quæ historici Græcorum, prout commodum cuique fuit, inter sese gregatim occupaverunt, ea omnino Pompeius, divisa temporibus et serie rerum digesta, composuit ⁽³⁾. » Sed non Græca tantum narrare, Romana etiam breviter attingere voluit Trogus, « ingrati civis officium existimans, si, quum omnium gentium res gestas illustraverit, de sola patria taceat ⁽⁴⁾. » Ideo de Romæ originibus quædam in pæne ultimo volumine tractavit : sed ipsum corpus historiæ ad Græcos

⁽¹⁾ Koch, *Prolegomena ad Theopompum Chium*, Lips., 1807.

⁽²⁾ Justini præfatio.

⁽³⁾ Just. præfatio.

⁽⁴⁾ Just., lib. XLIII, cap. I.

pertinet, atque hoc certum est, res illas Græcorum « temporibus divisas et serie rerum digestas esse » ab auctore, quas Justinus sæpe tanta negligentia confusas permiscuit.

Theopompus ille, Cornelii Nepotis testimonio, erat auctor maledicentissimus ⁽¹⁾, nec mirari debemus si forte noster etiam scriptor aliquid ex illa maledicentia in certis locis retinuerit. De Philippo, de Alexandro ceterisque regibus, de populis ipsis, ut Atheniensibus, judicia quædam profert, non injusta forsan, sed nimis severa, et res narrat quæ eis non semper maximo decori sunt. Sed hoc ipsum, quod Cornelius in Theopompo reprehendit, non mediocre testimonium esse arbitramur, quod ostendat et Theopompum et ipsum Trogum res potius ex vero quam ad laudationem quorundam narravisse; et inde concludemus auctorem nostrum, « sine ira et studio, » quæcunque Græcorum chartis et hominum memoria satis probata exceperit, ut historicum decet, composuisse.

Hoc quidem de mente qua Philippicæ historiæ relatæ sunt : quod ut manifestum appareat, satis erit operis partes minus inquinatas percensere, præsertim quas supra laudavimus. Ibi enim videmus, quamvis Philippus, ut Macedonum imperii conditor, et Alexan-

(1) Cornelius Nep., *Alcibiades*, II, 1.

der, ut ejusdem propagator, magnis laudibus ornentur, tamen auctorem eos justa ratione aestimavisse, nec de illorum vitiis et erroribus reticere : quæ Justinus tam absurda et inficeta scriptura contraxit, ut pæne contraria inter se ac repugnantia dici videantur ⁽¹⁾.

Ne tamen arbitremur Trogum a veterum historiæ scriptorum more omnino discessisse : multa enim, ut tunc temporis fieri solebat, « ad probandum » potius quam « ad narrandum », et artis voluptatisque magis quam veritatis causa descripsit ; quædam etiam protulit cum ætatis suæ sententiis ac præjudiciis, potius quam ipsis cum rebus congruentia. Animadvertendum, exempli gratia, quod de Philippo sentit et de Atheniensibus : his enim valde succenset quod ausi sint adversus Macedoniæ regem Phocensibus ad Thermopylas succurrere, et inde memorat eos olim, « advenientibus Persis, sed nequaquam simili aut virtute aut causa » easdem angustias occupavisse ⁽²⁾. Hoc ad Justinum referre, quamvis vellemus, non licet, quum locus iste totus ex iis sit qui manum doctiorem et dicendi genus optimum testantur. Concludamus igitur oportet, Trogum, studio erga Philippum et religioni-

⁽¹⁾ Vide supra, p. 37.

⁽²⁾ Just., lib. VIII, cap. II.

bus apud Romanos tam valde pollentibus deceptum, hac in operis parte non vidisse quam sibi gloriam Athenienses pepererint, quum fere soli inter tot Græciæ civitates, libertatis et ipsius Græciæ causam adversus regem, specie religionis tot facinora tegentem, non pari virtute ac fortuna, tuerentur.

De Pyrrho iudicium non minus injustum miramur, quum eum laudat non modo ut regem bellicis virtutibus clarissimum, sed etiam « inter viros illustres, *ait*, neminem unquam aut vitæ sanctioris aut justitiæ probatoris visum fuisse ⁽¹⁾ » : quod minime cum rebus de ipso Pyrrho supra narratis consentit. Sed regem laudat, et forsitan hostem populi romani non contemnendum, qui hostibus etiam suis ob virtutem et res fortiter gestas admirationem incussit.

Id enim de Trogo affirmare licet, quæ ejus, ut arbitramur, laus est præcipua, eum, quamvis Titi Livii ætate, aut paucis post annis scripserit, quamvis etiam ipsius Livii historias manifeste cognoverit ⁽²⁾, tamen romanos sensus sæpissime exuisse, et quum res ipsas Græcorum narrare, et quum externos reges aut populos, hostes etiam romanæ gentis, laudibus tantis prosequi, suscepit. Nonne suspicari possumus

⁽¹⁾ Just., lib. XXV, cap. V.

⁽²⁾ Vide supra, p. 14.

eum, ætate Augusti jam ad finem vergente, et moribus ad corruptelam inclinantibus, e gentium externarum historiis exempla proferre voluisse, quibus cives suos ad meliora revocaret? Scythas laudat, ut Germanos postea Tacitus ⁽¹⁾; et Parthorum simplices purosque mores, et ipsius Romæ Italiæque origines, cum regno Saturni aureo ⁽²⁾, singulari quodam studio commemorat. De moribus multa dicit, et animorum secretos sensus ac voluntates cura quam maxima perpendit, quasi vellet opus suum ad corrigendos homines, non tantum ad erudiendos, informare.

Hoc igitur pæne certum habeamus, Trogum, et rebus quas narrat, et ratione quam rebus illis narrandis adhibet, genus hac ætate novum apud historiarum scriptores secutum.

(¹) Just., lib. II, cap. II. Vide supra, p. 35 et 36.

(²) Just., lib. XLIII, cap. I.

V

De genere dicendi quod Trogo proprium fuisse videtur, pauca, ex parte hujus disquisitionis priori sequentia, conjectare licet. Si, quod verisimile est, locos supra laudatos ipsius auctoris manu scriptos, non brevioris arte infelici relectos esse arbitramur, fatendum est Trogi Pompeii orationem fuisse puram, elegantem, temperatam, nonnullis vero sententiis luculentam. In ceteris operis partibus, a Justino inquinatis, praesertim in narrationibus, pauca quidem habemus

quæ scriptoris genuini manum testentur, sed et ea satis ostendunt genus illud scribendi fuisse omnino hac ætate, inter omnes politissima, haud indignum. Nam maculas fere omnes, quæ nobis in legendo Justini breviario offendunt, easdem semper reperimus, sermonis corrupti vitium testantes, quæ nequeunt ad Augusti sæculum referri : solæcismos et verba recentiora, sententias obscuras et male dispositas, quæ percensere non operæ pretium est.

Sed difficilius est in locis quibusdam decernere utrum Pompeii an Justini culpa sermo non eleganter ac pure adeo profluat, in iis præsertim quos supra laudavimus, in orationibus, quas fere omnes ex ipso Trogo excerptas fuisse non infitiandum est. De hac quæstione dubitare liceat, sed hoc tamen conjectare, ut in Livio *patavinitates* quasdam, ita et in Trogo quasdam inesse notas sermonis haud semper meri ac latini, quæ aut gallicam auctoris originem, aut græci sermonis consuetudinem aliquando testantur.

Græcas enim dicendi rationes præcipue reperimus, quæ non a Justino, sed a Pompeio adoptatæ fuisse videntur, quippe quas breviator, male intellectas, prava scriptura haud semel corruerit. Quum enim apud optimos scriptores, ut in Livio, hæc verba : « incerta casuum, » aut quædam alia occurrant, Græcorum more juncta, Justinus, adulterata dicendi

ratione, scribit : « incertum belli ⁽¹⁾, » quod nullo unquam in loco apud latinos scriptores, ne corruptæ quidem ætatis, reperitur. Nonne verisimile est Trogum scripsisse : « incerta belli, » quod imperitus brevior ita mutaverit? Cetera ejusdem generis exempla proferre supervacaneum; sed hoc constat, Trogum, Græci sermonis more, nomina sæpius eadem ratione conjunxisse, ut « ardua montium, » « immensa ac profunda camporum ⁽²⁾, » et usque ad vitium hac licentia usum esse, quum etiam scribat : « pleraque finium ⁽³⁾. »

Hoc autem jam propius Taciti quam Livii temporis consuetudini, nec dubitamus Trogum inter scriptores, Augusti ætate nova sectantes, annumerare. Subtilia quædam aut poetico more scribuntur : sunt sensus splendidi et exquisiti, in quibus « plus intelligendum est quam audiendum, » ut in iis quæ de Dionysio, Syracusarum tyranno, disserit ⁽⁴⁾; sunt etiam quæ poesin potius quam historiam ac pedestrem sermonem decerent, ut hæc verba : « in hoc æstu periculorum, tutissimus portus consiliorum visus est ⁽⁵⁾, » aut

(1) Just., lib. XXXVIII, cap. I.

(2) Lib. XLI, cap. I.

(3) *Ibidem.*

(4) Lib. XXI, cap. IV.

(5) Lib. XXIII, cap. III.

« graviter fractum, velut exsanguem, in regno reliquit ⁽¹⁾ : » quæ ad Trogum libenter referimus, quia parum videntur Justini pallidam indolem et ingenium inficetum decere.

Quod de Saturni aurea ætate dicit, Virgilii loco simillimum est; quod de vitiis Græcorum, Romam translatis, ex Horatii sententia excerptum videtur ⁽²⁾; ita ut affirmare non absurdum sit auctorem nostrum annis aliquot post edita poetarum illorum opera floruisse, et eorum legendis carminibus libenter studuisse.

At, ne diutius in singulis immoremur, hoc jam nunc ex omnibus quæ supra diximus concludere liceat, Trogi sermonem ac genus dicendi fuisse in orationibus vividum, in narrando grave, pressum, et aliquoties in disserendo subtile; græcorum aut poetarum more, quædam, apud rerum scriptores ea ætate florescentes inusitata, posse reperiri; sententias potius incitato cursu quam leni tenore procedere; et, ne multa, auctorem nostrum potius ad Sallustii et Taciti quam ad Livii scripturam accedere. Eum ergo inter illos annumeremus, qui ingenii natura et scribendi ratione, non valde ad Augusti ætatem pertinent, viamque ingredi novam ac singularem non reformidaverunt.

⁽¹⁾ Lib. XXXI, cap. III.

⁽²⁾ Lib. XXXVI, cap. IV.

VI

Constat igitur Trogum Pompeium ætate Augusti exarata, sed non cum ætate illa omnino congruentia, historiarum volumina scripsisse, in quibus Græcorum ac præsertim Macedonum res gestas, sub titulo *Philippicarum historiarum*, narravit : quod opus, et rerum diversitate, apud romanos fere ignotarum, et regionum morumque descriptione, et fructu quem auctor sperabat ipsis inde romanorum moribus eveniturum, inter præcipua ejusdem generis habendum

est; dicendi autem ratione, ac sententiarum novitate, potius ad sequentia tempora referendum.

Hoc præsertim notare non omiserimus, Trogum de historia optime meritum, quia res a Græcis scriptoribus relatas, summa cura discussas, secutus sit, et exemplum ita dederit rationis adhibendæ severioris et fidei verissimæ.

Sed, quod præcipuum in disquisitione nostra fuit, Trogum apud ipsum Justinii breviarium interim manifesta luce splendere certum est, qui sermonis virtute inter excellentes Romæ scriptores potest annumerari.

Ne tamen ultra modum miremur si Trogus, et sua et sequenti ætate, non famam eandem ac Titus Livius sit assecutus : diversum scribendi genus et diversa præsertim materies effecere ut eum minus libenter in manu haberent Romani, quippe qui res externas, et illas quidem ratione apud victores non valde accepta, narraret. Ita fit ut Livio quondam inferior judicatus sit, et omnino e memoria hominum paulatim excesserit, quum forsitan apud nos, si superfuissent ejus opera, ut saltem ex illis reliquiis quas supra discussimus, conjectandum, maximam famam ac nomen optimi verissimique rerum scriptoris adeptus esset. Nos enim in historiis utilitatem potius spectamus quam voluptatem, et id imprimis ab auctore poscimus, ut nos edoceat, simplici ratione res gestas narrando, nec

in orationibus aut aliis ornamentis nimium immoretur.

Ita fit ut inter omnes veterum temporum scriptores nullus Livium superet ubertate aut dicendi gratia, nec Sallustium moribus depingendis, aut Thucydiden orationibus : fide contra et rerum ipsa utilitate nostræ auctores ætatis præsentent, qui lectorem potius monere quam delectare cupiunt, et genus narrandi sequuntur minus splendidum, sed magis fructuosum.

Hujus autem generis scriptorem fuisse Trogum Pompeium, nisi nos fallit opinio, ex omni disquisitione nostra comprobatum esse arbitramur, et hac sententia concludemus, eum dicendi quidem genere Livio inferioriorem, quamvis et ejus oratio satis splendeat, sed operis ordine ac materia principem illum romanæ historiæ, quoad judicare possumus e Justini breviario, superavisse, dignumque fuisse qui a recentioribus historicis, nisi fata obstitissent invida, tanquam parens et exemplar coleretur.

Vidi ac perlegi, Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VIII id. Jul. ann. MDCCCLXIX,
Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

PATIN.

Typis mandetur :
Academiæ Parisiensis Rector,
A. MOURIER.



